

Sed per exemplum forsitan lector rem clarius intueris. Latitudinem igitur Saturni ad tempus quo supra calculamus, cuius argumentum uerum, ut supra est 9. sig. 29 gra. 58 mi. 20 secun. Centrum uerum 6 sig. 9 gra. 19 mi. 43 secun. Signa igitur centri ueri, scilicet 6 reperio in secunda tabula Saturni, & 9 gra. centri ueri in linea graduum extrema descendendo, & reperio in angulo communi, 31 mi. proportionalia ad partem seruanda. Deinde quaero 9 sig. argumenti ueri in eadem tabula, quæ reperio in calce huius tabulæ. Gradus autem 29 argumenti ueri in secundo ordine numerorum ascendendo, & iterum in angulo communi signorum & graduum, reperio 2 gra. 15 mi. effregion meridionale, id est latitudinem meridianam, de qua scilicet 2 gradibus, 15 mi. & 31 minutis proportionalibus supra seruatis, accipio partem proportionalem secundum doctrinam de multiplicatione & diuisione supra traditam, ad 60. & reperio 1 gra. 9 min. 45 secun. latitudinem meridianalem Saturni ad tempus præsignatum. Planetarum superiorum ascensum & descensum partis latitudinis, hoc modo cognosces. Habita latitudine planetæ ad tempus propositum, quaeras etiam eius latitudinem ad decimum diem sequentem. Quod si latitudo planetæ diei propositi septentrionalis fuerit, & latitudinem decimi diei sequentis augmentari uideris, dic latitudinem planetæ septentrionalem ascendentem. Si uero eandem minui perspexeris, profer latitudinem septentrionalem descendentem. Si autem latitudo fuerit meridiana & crescet, uocabis latitudinem meridianam descendentem, si minuitur meridianalem ascendentem, uel sic, & facilius. Si latitudo alicuius trium superiorum fuerit septentrionalis, & argumentum uerum minus 6 signis comunibus, erit ascendens, si plus descendens, sed e contra erit. Si latitudo fuerit meridiana, nam si argumentum uerum fuerit minus 6 signis, erit descendens, si plus ascendens. Veneris etiam ascensus & descensus partis latitudinis per primum modum iam expositum in tribus superioribus satis innotescet, sed in Mercurio debet quaeri ad quartum uel quintum diem mox sequentem, propter latitudinis Mercurij uelocem uariationem.

De latitudine Veneris & Mercurij.
Propositio XVII.

Veneris & Mercurij latitudinem inuestigare.

IRes tabulas partiales quilibet eorum habet, quarum prima est latitudinis declinationis epicicli. Secunda latitudinis reflexionis eiusdem epicicli. Tertia est latitudinis deuiationis deferentis ab ecliptica. Prima autem tabula cuiuslibet eorum continet signa centri & argumenti ueri in fronte & calce tabulæ, & eorundem gradus ad leuam tabulæ sub titulo, lineæ numeri graduum. Area autem huius tabulæ habet in prima eius parte minuta & secunda proportionalia. In secunda uero parte latitudines declinationis epicicli, meridionales aut septentrionales, quod tituli in capitibus tabularum insinuant. Secunda tabula, signa habet centri & argumenti ueri in capite, & lineam numeri graduum ad sinistram. Corpus autem huius tabulæ, primo continet minuta proportionalia, secundo latitudines reflexionis epicicli, septentrionales & meridionales. Tertia tabula exprimit latitudinem deuiationis deferentis ab ecliptica, & est hæc latitudo semper septentrionalis in Venere, sed in Mercurio meridionalis, & fit introitus in ipsam cum minutis proportionalibus pro latitudine reflexionis inuenienda. Declinationem igitur sic comperies cum centro uero, intra tabulam primam latitudinis declinationis epicicli, & in angulo communi signorum & graduum, accipe mi, & secun. proportionalia quæ nota ad partem. Sic similiter cum argumento

3 ij uero